

Tractatus

726

et per accidens quomodo etiam non repugnat oppositio relativa.

Ictur autem alteri alteri opponi quadrupliciter. **O**ppositorum enim quedam sunt relativa ut pater et filius duplum et dimidium. **Q**uedam sunt privative opposita ut privatio et habitus, visus et cecitas, auditus et surditas. **A**lia sunt contrarie opposita ut album et nigrum. **A**lia sunt contradictorie opposita ut sedere et non sedere. **Q**ue autem sunt relative opposita dicuntur est prius in capitulo de relatione. **C**ontraria sunt quocumque sub eodem genere posita maxime a se invicem distat eadem susceptibili vicissim insunt a quo mutuo se expellunt nisi alterum eorum insit a natura, ut albedo in nigro et nigredo in corvo. **C**aliditas autem non est in igne ut accidens in subiecto, immo ut substantiale in eo cuius est substantiale sicut sunt quedam que cadunt in definitione alicuius non secundum predicationem sed potius ut principium, ut punctus in definitione linee, et unitas in definitione numeri. **E**t iste modus ostendit in continetur sub quarto modo secundum quem unaqueque pars definitionis est in suo definito. **E**t sic ignis non est subiectum caliditatis, sed materia ignis est subiectum eius. **N**ec enim susceptibilis est caliditatis et frigiditatis. **U**nde caliditas est in materia ignis ut in subiecto, in igne vero non ut in subiecto, sed ut substantiale in eo cuius est substantiale. **I**gnis est subtilissimum corpus calidum agens super aera secundum totam suam virtutem.

Hic incipit tractatus postpredicamentorum. **I**d est rerum ordinabilium in forma predicationis non ad unum genus sed ad plura alia genera reducibilium, quapropter prius erat agendum de generibus ad que reducuntur et de ipsis

postpredicamentis. **E**t hac etiam ratione dicuntur postpredicamenta eo quod posterioris nominis sunt ipsis predicamentis, ut si quid conferant ad notitiam predicamentorum hoc est a posteriori et quo ad bene esse potius quam quo ad esse, consequuntur enim habitudines concretorum quibus diversa predicamenta se respiciunt aut que communiter reperiuntur in singularibus aut pluribus predicamentis. **Q**uod sic patet nam si comparatur ad se invicem principium substantie et predicamenta accidentium surgit diversitas que est oppositionis stabilitamentum. **E**t si genera in unoquoque predicamento competunt ad suas species surgit ordo prioris et posterioris. **E**t si species ab uno egredientes ad se invicem comparatur surgit similitudo et si potentia que per viam transmutationis nata est attingere actum determinatum generis ad talem actum competunt surgit natura intermedia quam nominat motus qui reperitur in quattuor generibus scilicet substantia quantitate qualitate et ubi. **S**i autem comparatur substantia secundum potentiam sue susceptibilitatis ad accidentia nata ei inherere et sic quodammodo ab ea possidere provenit habere quod est ultimum postpredicamentum. **E**t quia inductione satis innotescit ordo postpredicamentorum aristotelis quem insequens petrus hispanus primo inchoat tractatum suum ab oppositione, dicens quod quattuor sunt species oppositionis, scilicet oppositio relativa, contraria privativa et contradictoria. **Q**ue in hoc conveniunt quod relativa et contraria habent extrema postiva secundum naturam affirmata privativa vero et contradictoria habent alterum extremum affirmatum reliquum vero affirmatio interemptum. **D**ifferunt tamen in hoc quod extrema relationis ab eodem subiecto secundum actum et potentiam sese remouent, sed contraria secundum actum tantum. **E**t negative privationis est negatio relinquens aptitudinem in suo subiecto negatio contradictionis simpliciter interimit. **E**t explicat per ordinem de his. **N**am opposita relativa ut pater et filius, duplum dimidium, dominus et servus, contraria vero ut album nigrum. **O**pposita privative ut habitus et privatio, visus et cecitas, auditus et surditas, quorum alterum est habitus et alterum ut privatio. **C**ontradictoria ut sedet non sedet, relinquens igitur petrus hispanus veram conditionem quam habent relativa et dicit in capitulo de ad aliquid ostendit